

aliquid post mortem nisi quod cadat in penam, vel premium. Sed corporalis locus non potest eis esse in penam, vel in premium, cum a corporibus nihil recipiant. Ergo non sunt eis assignanda certa receptacula.

Sed contra. Caelum empyreum locus corporalis est; & tamen ipsum factum mox Sanctis Angelis est repletum, ut Strabus dicit (in Glossa super illud, *Creavit Deus caelum etc.* Cum ergo Angeli sint incorporei, sicut & animae separate, videtur etiam quod separatis animabus sint certa receptacula assignanda. Ergo &c.

Præterea. Hoc patet per hoc quod Gregorius in IV. Dialog. cap. XL. narrat, animas post mortem ad diversa loca corporalia esse deductas; ut patet de Paschasio, quem Germanus Capuanus Episcopus in balneis invenit, & de anima Theodoricæ Regis, quam cap. xxxi. dicit ad gehennam fuisse perductam. Ergo animæ post mortem habent certa receptacula.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod statim post mortem nullæ animæ deducantur ad caelos, vel ad infernum. Quia super illud Psalm. xxxvi. 10. *Adhuc pusillum & non erit peccator*, dicit Glossa, quod Sancti liberantur in fine vitæ; post hanc tamen vitam non ibi erunt; ubi erunt Sancti, quibus dicitur: *Venite benedicti Patris mei*. Sed illi Sancti erunt in caelo. Ergo Sancti post hanc vitam non statim ascendunt ad caelum.

2. Præterea. Augustinus dicit in Enchir. cap. cx. quod tempus quod inter hominis mortem & ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquaque digna est requie, vel ærumna. Sed hæc abditæ receptacula non possunt intelligi caelum, & infernus: quia in illis etiam post resurrectionem ultimam animæ cum corporibus erunt: unde pro nihilo distingueret tempus ante resurrectionem, & post resurrectionem. Ergo non erunt nec in inferno, nec in paradiso usque ad diem iudicii.

3. Præterea. Major est gloria animæ quam gloria corporum. Sed simul omnibus redditur gloria corporum, ut sit major lætitia singulorum ex communi gaudio, ut patet Hebr. 11. super illud: *Deo pro nobis aliquid melius providente etc.* ubi dicit Glossa: *Ut in communi gaudio omnium majus feret gaudium, singulorum.* Ergo multo fortius & gloria animarum debet differri usque ad finem, ut simul omnibus reddatur.

4. Præterea. Pœna, & premium quæ per sententiam iudicii redduntur, iudicium præcedere non debet. Sed ignis inferni, & gaudia paradisi dantur hominibus per sententiam Christi iudicantis in ultimo iudicio, ut patet Matth. xxv. Ergo ante diem iudicii nullus ascendit ad caelum, vel descendit ad inferos.

Sed contra est quod dicitur II. Corith. v. 1. (1) *Si terrena nostra habitatio dissolvatur, domum habemus non manufactam, conservatam in caelis.* Ergo dissoluta carne homo habet mansionem quæ in caelis fuerit et conservata.

Præterea. Philip. 1. 13. dicit Apostolus: (2) *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*: ex quo sic arguit Gregorius in IV. Dialog. cap. xxv. *Qui ergo Christum*

(1) Virgata: *Scimus enim quod si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod adificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in caelis.* (2) Ibid. *desiderium habens dissolvi.* (3) Hieronymus: *& ubi voluerint.*

*in caelo esse non dubitat, nec Pauli animam esse in caelo negat.* Sed non est negandum Christum esse in caelo, cum sit articulus fidei. Ergo nec dubitandum est animas Sanctorum ad caelos ferri. Quod etiam aliqua animæ ad infernum descendant post mortem statim, patet Luc. xvi. 22. *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.*

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod animæ in paradiso, vel in inferno existentes egredi non valeant. Augustinus enim dicit in Lib. de cura pro mortuis agenda cap. xlii. *Si rebus viventium interessent animæ mortuorum, ut de aliis taceant, me ipsum pia mater nulla nocte desereret, quæ terra marique secuta est, ut mecum viveret.* & ex hoc concludit quod animæ defunctorum rebus viventium non intersint. Sed interesse possent, si de suis receptaculis exirent. Ergo de suis receptaculis non exeunt.

2. Præterea. In Psalm. xxvi. 4. dicitur: *Ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: & Job vii. 9. Qui descendit ad inferos, non ascendet.* Ergo tam boni quam mali à suis receptaculis non exeunt.

3. Præterea. Receptacula, ut est dictum, animabus post mortem dantur in premium, vel in penam. Sed post mortem neque premia Sanctorum minuuntur, neque pœnæ damnatorum. Ergo non exeunt de suis receptaculis.

Sed contra est quod dicit Hieronymus contra Vigilantium, sic eum alloquens: *As enim vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas Apostolorum, & martyrum consedis, nec posse suis tumulis, (3) eum voluerint, adesse presentibus, ita tu Deo leges ponis, in Apostolis vincula injicias, ut usque ad diem iudicii teneantur custodia, nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est (Apoc. cap. xiv. 4. Sequuntur agnum quocumque ierit.* Sed agnus ubique est. Ergo & hi qui cum agno sunt, ubique esse credendi sunt. Ridiculum ergo est dicere, quod animæ mortuorum à suis receptaculis non recedant.

Præterea. Hieronymus ibidem arguit sic: *Cum diaboli, & daemones toto vagentur orbe, & celeritate nimia ubique presentes sint, martyres post effusionem sanguinis ara operentur inclusi, & inde exire non poterunt? Ex quo potest concludi non solum de bonis, sed etiam de malis, quod sua receptacula interdum exeant, cum non habeant majorem damnationem quam daemones, qui ubique discurrunt.*

3. Præterea. Idem probari potest per Gregorium in IV. Dialog. ubi narrat de multis mortuis quod viventibus apparuerunt.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod quamvis substantiæ spirituales secundum esse suum à corpore non dependeant, corporalia tamen à Deo mediantibus spiritualibus gubernantur, ut dicit Augustinus in III. de Trinit. cap. 14. & Gregorius in IV. Dialog. cap. v. & ideo est quædam convenientia substantiarum spiritualium ad corporales substantias per congruentiam quamdam, ut scilicet dignioribus substantiis digniora corpora adaptentur.

(1) *Al. ex limo,*

unde etiam Philosophi secundum ordinem mobilium posterunt ordinem substantiarum separatarum. Quamvis autem animabus post mortem non assignentur aliqua corpora, quorum sint formæ, vel determinati motores; determinantur tamen eis quædam corporalia loca per congruentiam quamdam secundum gradus dignitatis eorum; in quibus sunt quasi in loco, eo modo quo incorporalia in loco esse possunt, secundum quod magis accedent ad primam substantiam (cui locus superior per congruentiam deputatur) scilicet Deum, cuius sedem caelum Scriptura esse denuntiat; & ideo animas quæ sunt in participatione perfecta Divinitatis, in caelo esse ponimus; animas vero quæ à participatione huiusmodi impediuntur, loco contrario dicimus deputari.

Ad primum ergo dicendum, quod incorporalia non sunt in loco modo aliquo noto nobis, & consueto, secundum quod dicimus corpora proprie in loco esse; sunt tamen in loco modo substantiis spiritualibus convenienti, qui nobis plene manifestum esse non potest.

Ad secundum dicendum, quod duplex est convenientia, vel similitudo. Una quæ est per participationem ejusdem qualitatis, sicut calida ad invicem conveniunt; & talis convenientia incorporalium ad loca corporalia esse non potest. Alia per quamdam proportionalitatem, secundum quam in Scripturis metaphora corporaliū ad spiritualia transferuntur, ut quod dicitur Deum esse sol, quia est principium vite spiritualis, sicut sol vite corporalis; & secundum hanc convenientiam quædam animæ quibusdam locis magis conveniunt, sicut animæ spiritualiter illuminatæ cum corporibus luminosis, animæ vero obtenebratæ per culpam cum locis tenebrosis.

Ad tertium dicendum, quod anima separata directe nihil recipit à locis corporalibus per modum quo corpora recipiunt, quæ conservantur à suis locis; sed ipsæ animæ ex hoc quod cognoscunt se talibus locis deputari, sibi gaudium ingerunt, vel merorem; & sic locus cadit eis in penam, vel in premium.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod sicut in corporibus est gravitas, vel levitas, quæ feruntur in locum suum, qui est finis motus ipsorum; ita etiam est in animabus meritum, vel demeritum, quibus perveniunt animæ ad premium, vel penam, quæ sunt fines actionum ipsarum: unde sicut corpus per gravitatem, vel levitatem statim fertur in locum suum, nisi prohibeatur; ita statim animæ, soluto vinculo carnis, per quod in statu vite detinebantur, premium consequuntur, vel penam, nisi aliquid impediatur; sicut interdum impedit consecutionem præmii veniale peccatum, quod prius purgari oportet, ex quo sequitur quod præmii differatur. Et quia locus deputatur animabus secundum congruentiam præmii, vel pœnæ statim ut anima à corpore absolvitur, vel in infernum demergitur, vel caelum evolat, nisi impediatur aliquo reatu quo oportuit evolutionem differri, ut prius anima purgaretur. Et huic veritati auctoritates Scripturæ canonice manifeste attestantur, & documenta Sanctorum patrum: unde contrarium pro hæresi est habendum, ut patet IV. Dialog. cap. xxvi. & in Lib. de eccl. dogmatibus, cap. lxxviii. & lxxix.

Ad primum ergo dicendum, quod Glossa seipsam in IV. Sant. Tom. V.

exponit: quod enim dicit: *Nondum erunt, ubi erunt Sancti etc.* statim exponit subdens: *id est, non habebunt geminam stotam quam habebunt Sancti in resurrectione.*

Ad secundum dicendum, quod inter illa abditæ receptacula, de quibus Augustinus loquitur, etiam sunt computandi infernus, & paradysus, in quibus animæ aliqua ante resurrectionem continentur. Sed ideo distinguitur tempus ante resurrectionem, & post, quia ante resurrectionem sunt ibi sine corpore, post autem erunt cum corpore; & quia in aliquibus receptaculis nunc sunt animæ in quibus post resurrectionem non erunt.

Ad tertium dicendum, quod homines secundum corpora habent quamdam continuitatem ad invicem, quia secundum eam est verum quod dicitur Act. xvi. 1. quod Deus (1) ex uno fecit omne hominum genus. Sed animas singillatim finxit: unde non est tanta congruentia, ut omnes homines simul glorificentur in anima, sicut quod simul glorificentur in corpore. Et præterea gloria corporis nota est, ita essentialis sicut gloria animæ: unde majus detrimentum esset Sanctis, si gloria animæ differretur, quam de hoc quod gloria corporis differretur; nec posset hoc detrimentum gloriæ recompsari per ampliationem gaudii singulorum de gaudio communi.

Ad quartum dicendum, quod eandem objectionem Gregorius in IV. Dialog. cap. xxv. proponit, & solvit. Si, inquit, *nunc in caelo sunt animæ Sanctorum, quid est quod in die iudicii pro justitia sue retributione recipiunt?* Et respondet: *Hoc eis nimirum crescit in iudicio, quod nunc animæ sola sui gloria retributione lætantur, postmodum vero etiam corporum beatitudine perficiuntur, ut in ipsa quoque gaudeant, in qua dolores pro Domino, cruciatibusque pertulerunt.* Et eodem modo dicendum est de damnatis.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod aliquem exire de inferno, vel paradiso potest intelligi dupliciter. Uno modo ut simpliciter inde exeat, ut jam ejus locus non sit paradysus, vel infernus, & sic nullus inferno, vel paradiso finaliter deputatus inde exire potest, ut in sequenti dist. quæst. 11. art. 3. dicitur. Alio modo potest intelligi, ut exeat inde ad tempus; & in hoc distinguendum est, quid eis conveniat secundum legem naturæ; & quid eis conveniat secundum ordinem divinæ justitiæ: quia, ut Augustinus dicit in Lib. de cura pro mortuis agenda, cap. xxv. *alii sunt humanarum limites rerum, alia sunt divinarum signa virtutum; alia sunt quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt.* Secundum ergo naturalem cursum animæ separatæ receptaculis propriis deputatæ à conversatione viventium penitus segregantur. Non enim secundum cursum naturæ homines in mortalitate viventes substantiis separatis immediate coniunguntur, cum omnis eorum cognitio à sensu oriatur; nec propter aliud à suis receptaculis eas exire conveniret, nisi ut rebus viventium interessent. Sed secundum dispositionem divinæ providentiæ aliquando animæ separatæ à suis receptaculis egressæ conspectibus hominum presentantur, sicut Augustinus in prædicto Libro, eodem cap. narrat de Felice martyre, qui civibus Nolanis visibiliter apparuit, cum à barbaris oppugnarentur. Et hoc etiam credi potest quod aliquando de damnatis contingat, quod ad eru-

(1) *Al. ex limo,*

ditionem hominum, & terrorem permittuntur viventibus apparere, aut etiam ad suffragia expetenda quantum ad illos qui in purgatorio detinentur, ut per multa quæ in IV. Dialog. narratur, patet. Sed hoc interest inter Sanctos & damnatos, quod Sancti, cum voluerint, apparere possunt viventibus, non autem damnati. Sicut enim viventes Sancti in carne per donum gratiæ gratis datæ accipiunt ut sanitates, & signa perficiant, quæ non nisi divina virtute mirabiliter fiunt, (quæ quidem signa ab aliis hoc dono carentibus perfici non possunt) ita etiam non est inconveniens ut ex virtute gloriæ aliqua potestas animabus Sanctorum detur, per quam possunt mirabiliter apparere viventibus; nec tamen sequitur quod etiam si mortui possunt, ut volunt, viventibus apparere, toties appareant, quoties apparent in carne viventes; quia separati à carne vel omnino conformantur divini voluntarij, ita quod non liceat eis nisi quod secundum divinam dispositionem congruere (1) intuentur; vel ita sunt poenis oppressi, ut de sua miseria magis doleant, quam curant aliis apparere.

Ad secundum dicendum, quod auctoritates illæ loquuntur quantum ad hoc quod nullus de paradiso, vel inferno egreditur simpliciter, & non quod non egredietur ad tempus.

Ad tertium dicendum, quod, sicut ex dictis patet (dist. præc. art. ult. quæst. III. in corp.) secundum hoc locus animæ cedit in penam, vel præmium, quod anima afficiatur ex hoc quod tali loco deputatur vel gaudendo, vel dolendo. Hoc autem gaudium, sive hic dolor de hoc quod talibus locis deputatur, manet in anima etiam quando extra loca prædicta fuerit; sicut Pontifici cum datur pro honore ut in cathedra sedeat in Ecclesia, non minuitur gloria quando à cathedra recedit: quia etiam si actu ibi non sedeat, locus tamen ille sibi deputatus est.

Ad ea etiam quæ contra obijciuntur responderi oportet: ad quorum primum dicitur, quod Hieronymus loquitur de Apostolis, & Martyribus secundum hoc quod eis accrescit ex potestate gloriæ, & non secundum quod eis congruit ex debito naturæ. Quod autem dicit, eos ubique esse, non est intelligendum quod simul sint in pluribus locis, aut ubique; sed quia esse possunt ubi volunt.

Ad secundum dicendum, quod non est simile damnationibus, & Angelis, & animabus Sanctorum, & damnatorum. Angeli enim boni, & mali hoc officium sortiuntur ut hominibus præsentent vel ad custodiam, vel ad exercitium; quod de animabus hominum dici non potest. Sed tamen secundum potestatem gloriæ animabus Sanctorum hoc congruit quod possunt esse ubi voluerint: & hoc est quod Hieronymus intendit.

Ad tertium dicendum, quod quamvis aliquando animæ Sanctorum, vel damnatorum præsentialiter adsint ubi apparent; non tamen credendum est hoc semper accidere. Aliquando enim huiusmodi apparitiones fiunt vel in dormiendo, vel in vigilando operatione bonorum, vel malorum spirituum ad instructionem, vel destructionem viventium: sicut etiam vivi homines quando aliis apparent, & eis multa dicunt in somniis, quod tamen constat eos non esse

præsentes, sicut Augustinus per multa exempla probat in Libro de cura pro mortuis agenda, cap. xi. xi. & xii.

## ARTICULUS II.

*Utrum limbus inferni sit idem quod sinus Abrahæ.*

III. Sentent. dist. xxii. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 2.

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod limbus inferni non sit idem quod sinus Abrahæ. Sicut enim dicit Augustinus XII. super Genes. ad litteram, cap. xxxiiii. *Nondum inventi inferos (2) alicubi in bono possuisse Scripturam.* Sed sinus Abrahæ in bono accipitur, ut ibidem subiungit Augustinus, sic dicens: *Non in bono (3) accipiendum sinus Abrahæ & illam requiem quod ab Angelis pius pauper (4) sublatu est; nescio utrum quisquam possit audire.* Ergo sinus Abrahæ non est idem quod limbus inferni.

2. Præterea. In inferno existentes non vident Deum. Sed in sinu Abrahæ videtur Deus, ut patet per Augustinum, IX. Libr. Confess. cap. xxxi. qui loquens de Nebridio dicit: *Quidquid illic est quod sinus Abrahæ vocatur, ibi Nebridius meus vivit: & infra: Jam non ponit aures ad os meum, sed spirituale os ad fontem tuum, & bibit quantum potest sapientiam pro aviditate sua sine fine felix.* Ergo sinus Abrahæ non est idem quod limbus inferni.

3. Præterea. Ecclesia non orat pro aliquo ut ad infernum deducatur. Orat autem ut Angeli animam defuncti in sinu Abrahæ deferant. Ergo videtur quod sinus Abrahæ non sit idem quod limbus. Sed contra. Sinus Abrahæ dicitur ubi mendicus Lazarus ductus est. Sed ductus est ad infernum, ut dicit Glossa Job xxx. super illud: *Ubi constituta domus Dei viventis: (5)*. Infernus domus erat omnium viventium ante adventum Christi. Ergo sinus Abrahæ idem est quod limbus.

Præterea. Genes. xlv. 29. dicit Jacob filiis suis: *Deducetis canos meos (6) cum dolore ad inferos.* Ergo Jacob sciebat in morte sua se ad inferos transferendum; ergo & eadem ratione Abraham ad inferos translatus fuit post mortem: & ita sinus Abrahæ videtur esse aliqua pars inferni.

## QUESTIUNCULA II.

1. **U**terius. Videtur quod limbus inferni sit idem quod infernus damnatorum. Christus enim dicitur infernum momordisse, non absorbuisset, quia aliquos extraxit inde, non autem omnes. Non autem diceretur momordisse infernum, si illi quos liberavit, non fuissent pars multitudinis in inferno contentæ. Ergo cum illi quos liberavit, in limbo inferni continerentur, iidem continebantur in limbo, & inferno: ergo limbus est idem quod infernus, vel pars inferni.

2. Præterea. Christus dicitur in symbolo descendisse ad infernum. Sed non descendit nisi ad limbum patrum. Ergo limbus patrum est idem quod infernus.

3. Præterea. Job xxviii. dicitur: *In profundissimum inferni (7) descendit omnia mea.* Sed Job, cum esset vir Sanctus, & justus, ad limbum descendit. Ergo limbus est idem quod profundissimum inferni.

Sed contra. In inferno nulla est redemptio. Sed à limbo Sancti fuerunt redempti. Ergo limbus non est idem quod infernus.

Præ-

(1) Ita etiam ms. Supplementum vero quæst. Lxi. art. 3. ad 1. invenitur. (2) Al. alicui. (3) Al. accipiendo. (4) Al. ablata. (5) Adait Nicolai dicit enim, (6) Vulgata, maxore. (7) Al. descendat anima mea.

Præterea. Augustinus dicit XII. super Genes. ad litteram, cap. xlii. *Quomodo illam requiem quam Lazarus accepit, apud inferos esse credamus, non video.* Sed anima Lazari ad limbum descendit. Ergo limbus non est idem quod infernus.

## QUESTIUNCULA III.

1. **U**terius. Videtur quod limbus puerorum sit idem quod limbus patrum. Pœna enim debet respondere culpæ. Sed pro eadem culpa detinebantur in limbo patres, & pueri, scilicet pro culpa originali. Ergo idem debet esse utrorumque locus pœnæ.

2. Præterea. Augustinus dicit in Enchir. c. xliii. *Mitissima est pœna puerorum qui cum solo originali decedunt.* Sed nulla est mitior pœna ea quam Sancti Patres habebant. Ergo idem est locus pœnæ utrorumque.

Sed contra. Sicut actuali peccato debetur pœna temporalis in purgatorio, & æterna in inferno; ita & originali peccato debetur pœna temporalis in limbo patrum, & æterna in limbo puerorum. Si ergo infernus, & purgatorium non sunt idem, videtur quod nec limbus puerorum, & limbus patrum sint idem.

Utrum autem infernus, & purgatorium loci sint idem, quæsitum est supra distinct. xxii. q. 1. art. 1. quæstiunc. 11. in corp.

## SOLUTIO I.

Respondens dicendum ad primam quæstionem, quod animæ hominum post mortem ad quietem pervenire non possunt nisi merito fidei: quia *accidentem ad Deum oportet credere*: Hebr. xi. 6. Primum autem exemplum credendi hominibus in Abraham datur, qui primus se à cæteris infidelium segregavit, & speciale signum fidei accepit: & ideo requies illa quæ hominibus post mortem datur, sinus Abrahæ dicitur, ut patet per Augustinum XI. super Genes. ad litteram cap. xxxv. Sed animæ Sanctorum post mortem non omni tempore eandem quietem habuerunt: quia post Christi adventum habent plenam quietem, divina visione perfruentes; sed ante Christi adventum habebant quidem quietem per immunitatem pœnæ, sed non habebant quietem desiderii per consecutionem finis. Et ideo status Sanctorum ante Christi adventum potest considerari & secundum id quod habebat de requie, & sic dicitur sinus Abrahæ: potest etiam considerari quantum ad id quod eis de requie deerat, & sic dicitur limbus inferni. Limbus ergo inferni, & sinus Abrahæ fuerunt ante Christi adventum unum per accidens, & non per se: & ideo nihil prohibet post Christi adventum esse sinum Abrahæ omnino diversum à limbo: quia ea quæ sunt unum per accidens, separari contingit.

Ad primum ergo dicendum, quod quantum ad id quod habebat de bono status Sanctorum Patrum; sinus Abrahæ dicebatur; sed quantum ad id quod habebat de defectu, dicebatur infernus: & sic nec sinus Abrahæ in malum accipitur, nec infernus in bonum; quamvis quodammodo sint unum.

Ad secundum dicendum, quod sicut requies Sanctorum Patrum ante Christi adventum dicebatur sinus Abrahæ, ita & post Christi adventum, sed diversimode: quia enim ante Christi adventum Sanctorum requies habebat defectum requiei adjunctum, dicebatur idem infernus, & sinus Abrahæ, unde ibi non

videbatur Deus; sed quia post Christi adventum Sanctorum requies est completa, cum Deum videant, talis requies dicitur sinus Abrahæ, & nullo modo infernus: & ad hunc sinum Abrahæ Ecclesia orat fideles perducere.

Unde patet responsio ad tertium: & sic est intelligenda quedam Glossa quæ habetur Lucae xvi. super illud: *Factum est ut moreretur mendicus &c.* quæ sic dicit: *Sinus Abrahæ est requies beatorum pauperum, quorum est regnum cælorum.*

**SOLUTIO II.**

Ad secundam quæstionem dicendum, quod receptacula animarum post mortem dupliciter distinguuntur, aut secundum situm, aut secundum locorum qualitatem, prout scilicet in aliquibus locis pœnas, vel præmia recipiunt animæ. Si ergo consideretur limbus patrum, & infernus secundum locorum qualitatem prædictam, sic non est dubium quod distinguuntur: tum quia in inferno est pœna sensibilis, quæ in limbo patrum non erat: tum etiam quia in inferno est pœna æterna; sed in limbo patrum detinebantur Sancti temporaliter tantum. Sed si considerentur quantum ad situm loci, sic probabile est quod idem locus, vel quasi continuus, sit infernus, & limbus; ita tamen quod quedam superior pars inferni limbus patrum dicatur. Existentes enim in inferno secundum diversitatem culpæ diversam sortiuntur & pœnam; & ideo secundum quod gravioribus peccatis etiam irretiuntur damnati; secundum hoc obscuriorem, & profundiorum locum obtinent in inferno: unde Sancti Patres, in quibus minimum erat de ratione culpæ, supremum, & minus tenebrosum locum habuerunt omnibus puniendis.

**SOLUTIO III.**

Ad primam ergo dicendum, quod secundum hoc quod infernus, & limbus sunt idem quantum ad situm, dicitur Christus infernum momordisse, & in infernum descendisse, quando patres à limbo eripuit suo descensu.

Et per hoc patet solutio ad secundam.

Ad tertiam dicendum, quod Job non descendit ad infernum damnatorum, sed in limbum patrum; qui quidem dicitur profundissimus locus, non quidem respectu locorum pœnalium, sed in comparatione ad alia loca, quia sub eodem includitur omnis locus pœnarum. Vel dicendum, sicut Augustinus solvit XII. super Genes. ad litteram, cap. xxxiiii. de Jacob sic dicens: *Illud quod Jacob dicit ad filios suos: Deducetis senectutem meam cum tristitia ad inferos: videtur hoc magis timuisse, ne nimia tristitia sic perturbaretur, ne ad requiem beatorum iret, sed ad inferos peccatorum.* Et similiter potest exponi verbum Job eadem ratione, ut sit verbum magis timentis quam asserentis.

Ad primum ergo dicendum, quod ad culpam originali.

(8) Al. defectum.